Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26136
Copyright: Admont, Benediktinerstift

res semper. quia tam subtilis est superbia. ut vix ipsi possint iudi-
care. an glorientur in se. De vii. Beatitudinibus.
Beati pauperes spiritu. Series succincta. sed auditu iocun-
da. fructu eterna. Videndum quis hunc sermonem habu-
erit. et quibus. et ubi. Rex noster ante secula ut operetur salutem
in medio terre. inclinavit se usque ad terram. et novus
homo nova precepta dedit mundo. Siquidem mundus predicans
predicaverat. docens docuerat. beati nobiles. beati potentes.
beati divites. sed novus rex. cuius nova lex. cuius regnum non est
de hoc mundo. edictum proposuit contrarium mundo dicens. Bea-
ti pauperes spiritu. Et quibus. Illis quos elegit de hoc mundo. ut
essent lux mundi sal terre quos constituit ecclesiarum rectores. in iudi-
cio reverendos senatores. Ubi. Ipse mons in monte. ut ex
ipsa loci positione moneret ad altiora conscendere. Unde et ipsa
beata maria. post obumbrationem spiritus sancti in montana conscen-
dit. Notandum non simpliciter dici beati pauperes sed cum adiunc-
tum spiritu. quia paupertas alia necessaria. alia simulatoria.
alia voluntaria que et spiritualis dicitur. Paupertas necessaria est
ut eorum qui ostiatim mendicant. qui miserrima conditione
et hic et in futuro torquentur. Simulatoria paupertas est ypocritarum
qui simulant quod non sunt. dissimulant quod sunt. representatores alie-
ne persone. humilitatem pretendunt quam intus inpugnant. ad
fucum preferunt. adversitatem abiurant. ad gloriam abnegant. vul-
pes dolositate. accipitres rapacitate. corvi edacitate.
pro cadaveribus vel temporalibus que stercora reputantur. tota die gar-
riendo. Nota quod necessaria extollitur in prosperis. simulatoria
velut tela aranearum frangitur in adversis. Voluntaria paupertas
est beata qualis est eorum quibus desiderabilis thesaurus deus est.
Sciendum quod alia cum rebus. alia sine rebus. Exemplum illius que est
cum rebus pertulerunt antiqui patriarche et david. qui cum tan-
tis divitiis floreret. pauperem tamen se reputavit dicens.
Ego vero egenus et pauper sum. et antiqui episcopi. vel siqui sunt moderni. Istam
que est sine rebus christus docuit verbo. consecutus exemplo. commenda-